



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)



TRACTATUS SECVNDVS.  
DE VISIONE DEI, ET NOMINIBVS EIVS.

*Ad questionem 12. & 13. Divi Thomæ.*

PRÆFATIO.



Riplex à Theologis distingui solet Dei cognitio, quâ Philosophi, Fideles, & Beati, triplici gradu ad Deum ascendunt. Altera naturalis est, & rebus quæ sensu percipiuntur orta; altera naturam superat, quâ Deus Author gratiæ, solâ revelatione in Christiana religionis mysterijs, veluti per cancellos se prodit; ac demum diviniior altera, quam, visionem beatificam, Theologi vocant, quâ sese Deus revelatâ facie; Beatis mentibus quæ tantum splendorem ferre possunt, in apertum producit. Si libet hîc paululum metaphoris ludere, & in hujus triplicis cognitionis explicationem, aliquid ex Scriptura asciscere; primâ & ex rebus perceptâ cognitione, quæ cæteris inferior est, pedes & Dei vestigia, in solo transitu rebus impressa cernimus; divinitatis scilicet, potentia, bonitatis, & sapientiæ argumenta, quæ ut amplissimum speculum mundus exhibet, in quo invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ad Roman. 1. Secunda aliâ equidem assurgit, sed Dei faciem obvertentis, posteriora solum inspicit: Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, Exodi 33. Tertiam nihil latet, sed pleno & claro intuitu, beata mens Dei faciem contemplatur, ejusque infinitam pulchritudinem intuetur, ut illa laboribus comparata merces rependatur, quæ laboranti & suspiranti promissa fuerat, Isaïæ 33. Regem in decore suo videbunt oculi ejus. Denique, ut absolvam, cognitionem quam sola natura parit, quæ tota in tenebris versatur, non immeritò noctem dixeris: fidem quæ tenebris lucem permiscet, inter hujus vitæ noctem, & æternitatis diem, auroram in medio positam, & utriusque confinium, ut eleganter expendit Gregorius Magnus, his verbis: Quid in hac vita omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus: quia & quædam iam quæ lucis sunt, agimus, & tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquijs non caremus. Clara demum apertaque Dei visio, quæ æternis splendoribus, & fidei umbras, & ignorantie tenebras depellit, plena meridies est, quam olim Sponsa optabat Cantic. 1. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Nam hîc pascis (inquit Bernardus) sed non in saturitate. Nec cubare licet, sed stare & vigilare oportet, propter timores nocturnos. Heu nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, & ideo indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Vultum tuum Domine requiro. Vultus tuus meridies. O verè meridies, plenitudo fervoris & lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O vernalis tempestas! O æstiva venustas! O autumnalis ubertas, & ne quid præteriisse videar, O quies & feriatio hyemalis!

*Lib. 29.  
in Job.  
cap. 2.*

*Serm.  
33. in  
Cant.*

*Tract.  
34. in  
Joan.*

*Exodi  
2.*

De hac igitur ineffabili visione, votorum nostrorum meta, & laborum mercede, quæ (ut ait Augustinus) desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest, verbis explicari non potest, hoc Tractatu differendum est, quem pro majori claritate in sex disputationes dividemus. Prima quid de ejus possibilitate sentiendum sit, ostendet. Secunda & tertia, speciei, & luminis, quibus principiis producitur, naturam, & varia munera explicabunt. Quarta visionem ipsam in sese inspiciet, & cætera quæ ad eam pertinent, objectum, inæqualitatem, & alia complectetur. Quinta durationem quâ illa mensuratur, exponet. His accedet sexta & ultima, quâ totam quæst. 13. D. Thomæ, & quæ de Dei nominibus docet, quæ nudam, & apertam solum explicationem postulant, brevi perstringemus. Vadam ergo, & videbo visionem hanc magnam.

DISP.